



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

21. Aliàs ad supplicationem &c. Confirmatio Decreti Sacræ Congregationis
Episcoporum, & Regularium, quo sancitur constituendum esse
Procuratorem Generalem pro Discalceatis, & Recollectis, qui Romæ in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

tenti per le qualità de' contratti, e Persone sudette, la regola della nostra Cancellaria de jure quæsito non tollendo, e qualsivoglia altre Costituzioni, & Ordinationi Apostoliche de nostri Predecessori, Leggi civili, e canoniche, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, ò potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole, ancorche contenessero clausole insolite derogatorie e derogatorie di derogatorie, suppiendo Noi con la pienezza della nostra potestà à qualsivoglia difetto, sì sostanziale, come formale, che sopra ciò potesse intervenire, havendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserito per questa volta sola, & all' effetto sudetto amplamente, & in ogni altro miglior modo deroghiamo. Dato nel Nostro Palazzo Vaticano questo dì 21, Gennaro MDCCV.

Clemens Papa XI.

Die Veneris 30. Januarii 1705. Præsens Chirographum Sanctissimi in plena Camera Apostolica exhibitum, & præsentatum fuit, illudque commissum Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Alexandro Falconerio Camera Apostolica Clerico, deinde die Mercurii 4. Februarii ejusdem anni cit. desuper Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Silvio de Cavaleris Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Reverendæ Camera Apostolicæ Commissario Generali ad relationem ejusdem Illustrissimi & Reverendissimi Domini Falconerii admissum, & registratum fuit in libro Signaturarum ejusdem Sanctissimi fol. 147.

Ita est Antonius Petruccius Reverendæ Camera Apostolicæ Secretarius.

XXI.

CONFIRMATIO

Decreti Sacre Congregationis Episcoporum, & Regularium, quo sancitur constituendum esse Procuratorem Generalem pro Discalceatis, & Recollectis, qui Romæ in Conventu Aracelitano resideat, & plura alia circa regimen eorundem Regularium statuuntur.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

Aliàs ad supplicationem Dilectorum Filiorum Fratrum Provinciarum Ordinis Minorum Sancti Francisci Discalceatorum, & Recollectorum nuncupatorum familiæ Ultramontanæ emanavit à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium Negociis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, re mature discussa, & perpensis objectionibus ex adverso oppositis per Patrem Procuratorem Generalem de Observantiâ, referente Eminentissimo Domino Cardinali Sperello sub diebus 15. Junii, & 31. Augusti, ac iterum sub die 7. Decembris Anni 1703. censuit constituendum esse Procuratorem Generalem pro Discalceatis, & Recollectis, qui Romæ, & in Conventu Aracelitano debeant resideat, donec de alio Conventu in Urbe ei provideatur, una cum Socio, qui eidem in munere Secretarii deserviat: Officium autem ipsius duret per sexennium, videlicet ab uno Capitulo Generali ad aliud, isque res peragat omnium Discalceatorum, & Recollectorum tam Hispaniæ, & Italiæ, quam etiam Galliæ, aliarumque Regionum, & Provinciarum, exceptis Germano-Bel-

Decretum
Sac. Congregationis.

gicis, qui, nullâ factâ innovatione, remanere valeant sub dicto Procuratore Generali de Observantiâ. Et similiter quotquot ex Poloniâ, Bohemiâ, aliisque Provinciis hactenus fuerunt sub Procuratore Generali Reformatorem Cisfontanæ Familiæ residente in Conventu S. Francisci ad Ripam, sub eodem remanere debeant, cui nusquam præjudicium inferatur, sed præcedentiæ, & alia Jura semper illæsa permaneant. Ad hujusmodi Officium alterâ vice assumi debeat unus ex Recollectis, & alterâ unus ex Discalceatis, idque ab eorum Vocalibus in Capitulo Generali. Electio autem fiat per schedulas, & vota secreta, nemine proponente. Socius verò Secretarii munere functurus, cum Procurator erit ex Recollectis, assumatur ex Discalceatis; & contra, cum erit ex Discalceatis, assumatur ex Recollectis. Pro hac primâ vice sit Procurator Generalis Pater Joannes Damascenus Melnard Recollectus Provincie S. Dionysii, cujus Officium ex nunc incipiat, & duraturum sit usque ad aliam electionem faciendam ex familiâ Discalceatorum in Capitulo Generali anni 1712. Et quia ipse Pater Melnard est absens extra Italiam, donec ad Urbem venerit, ejus partes, & vices impleat Pater Isidorus à Jesu Discalceatus Provincie S. Josephi in Castellâ. Hujusmodi Procuratoris munus sit in omnibus simile muneri Procuratoris Generalis Reformatorem Cisfontanæ Familiæ cum iisdem facultatibus, & prærogativis quibuscumque. Romæ &c. G. Cardinalis Carpineus. Locus † sigilli.

S. I. Cum autem, sicut pro parte eorundem Fratrum Nobis nuper expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quò firmius subsistat, & fervetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderent. Nos præfatos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiastici sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes easdem præsentis literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, si que in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si fecus, super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ac quatenus opus sit, Provinciarum, Conventuum, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus: Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus

Confirmatur
salva auctoritate Sac.
Congregationis.

autem

autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu aliqujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem profectus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xij. Martii MDCCV. Pontificatus nostri Anno Quinto.

F. Oliverius.

XXII.

CONFIRMATIO

Et Innovatio Constitutionum Innocentij Papæ X. & Alexandri Papæ VII. adversus Jansenianam hæresim editarum cum nonnullis declarationibus pro debita illarum observantia adjectis.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum. Dei Universis Christianis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Vineam Domini Sabaoth, quæ est Catholica Ecclesia, pro commisso Nobis divinitus Apostolice servitutis munere custodire, atque excolere omni studio, atque industria jugiter satagentes, ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostri ad succrescentes in illa perniciosarum novitatum vepres radicatus evellendos prudenti, salubrique consilio constituta esse noscuntur, ut quibuscunque Inimici Hominis molitionibus dejectis, firmius semper, atque exactius observentur, Apostolici manimimis nostri præsidio libenter roboramus, atque aliis desuper sollicitudinis, & providentiæ nostræ partes interponimus, sicut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, ad fidelem, ac tutam orthodoxæ veritatis custodiam, necnon Animarum pretioso Unigeniti Dei Filij Domini Nostri Jesu Christi Sanguini redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Sanè postquam fel. rec. Innocentius Papa X. Prædecessor Noster per quamdam suam desuper editam Constitutionem quinque famosas Propositiones ex libro Cornelij Jansenii Episcopi Ipresnsis, cui titulus *Augustinus* excerptas Apostolice censura judicij rite confixerat, rec. mem. Alexander Papa VII. etiam Prædecessor noster ad ejusmodi jam damnatos errores è Christianis fidelibus mentibus profectus abolendos, publicæque tranquillitatis perturbatorum subtili tectas calliditate machinationis penitus evertendas, prædictam Innocentij Prædecessoris Constitutionem, toto illius inserto tenore, confirmavit, novarumque declarationum accessione constabilivit, sua in id pariter editâ Constitutione tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 2. Alexander Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christianis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad Sanctam Beati Petri Sedem, & Universalem Ecclesiæ regimen, inscrutabili Divinæ providentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil Nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quam ut sanctæ Fidei nostræ, ac Sacrorum Dogmatum integritati tradita Nobis à Deo potestate opportunè consuleremus. Ac licet ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, novæ decisionis, sive declarationis accessione nequaquam indigeant, quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur; ne morbus iste latius divagetur, promptum Apostolicæ authoritatis remedium censuimus non esse differendum.

§. 3. Emanavit siquidem aliàs à fel. rec. Inno-

centio Papa X. Prædecessore nostro Constitutio, Declaratio, & Definitio tenoris, qui sequitur, videlicet: Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christianis salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum occasione impressionis Libri, cui titulus *Augustinus* Cornelij Jansenii Episcopi Ipresnsis, inter alias ejus opiniones, orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud Nos insisterunt, ut easdem propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum propositionum est prout sequitur. Prima. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentem, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant. Secunda. Interiori Gratia in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Tertia. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Quarta. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratia interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Quinta. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

§. 4. Nos quibus inter multiplices curas quæ animum nostrum assidue pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commissa, purgatis pravæ opinionum erroribus, tutè militare, & tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis pervenire possit; pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sapius congregatis, ac pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem quinque propositiones, ut supra, Nobis oblatas fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram Nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes audivimus. Cum autem ab initio hujuscemodi discussionis, ad Divinum implorandum auxilium multorum Christianis fidelium preces, tum privatum, tum publicè indixissemus; postmodum iteratis eisdem ferventiùs, ac per Nos sollicitè implorata Sancti Spiritus assistentiâ, tandem Divino Numine favente ad infra-scriptam devenimus declarationem, & definitionem.

§. 5. Primam prædictarum propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentem, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant: temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Secundam: Interiori Gratia in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratia interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem

Tenor dictarum propositionum.

Diligentiæ adhibita pro illarum discussionem.

Condemnatio earundem propositionum cum particulari in singulas censura.

Exordium à sollicitudine curandi observantiam eorum, quæ pro extinguendis pravæ erroribus Prædecessores ordinant.

Narrat fan. me. Alexandrum VII. confirmasse Constitutionem fel. rec. Innocentij X. condemnatoriam quinque propositionum excerptarum è Libro Cornelij Jansenii.

Tenor Constitutionis Alexandrinæ.

Exordium à debito conservandi integritatem Fidei.

Refertur Constitutio Innocentij X. condemnatoria, quinque propositionum, ut supra.